

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8271

Auteur(s) : Nicolas Chevreul, chevalier, Soligny (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1253, 8 novembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas Chevreul, chevalier, seigneur de Soligni, concède à l'abbaye de la Trappe le bois du Parc, moyennant une redevance annuelle de dix livres, monnaie courante, dont le produit lui est payé à l'avance pour les vingt-quatre premières années.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, S. « De nemoribus », n° XXV, p. 466-467.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Nicholaus Chevrueil, miles, dominus de Soligneio, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum ego tradiderim et concesserim viris religiosis abbati et conventui Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, totum nemus meum quod vocatur Parchus, in bosco et plano cum omnibus pertinentiis ejusdem, dictis abbati et conventui habendum in perpetuum et tenendum pro annuo redditu decem librarum monete cursalis in Corboneto, de quo redditu ipsi tenebuntur de cetero reddere annuatim centum solidos, in festo sancti Remigii in perpetuum, Guillelmo de Buato, clerico, et michi et heredibus meis alios centum solidos, in predicto festo sancti Remigii, in perpetuum annuatim reddere teneantur ; cum dicti abbas et conventus michi tradiderint pre manibus et integre persolverint sex viginti libras turonensium pro quitatione redditus centum solidorum predictorum michi et heredibus meis debitorum de viginti et quatuor primis annis continue venturis, ego, predictus Nicholaus et heredes mei, si me decedere infra spatium et tempus predictorum viginti et quatuor annorum continue succedentium contigerit, nichil in predicto Parcho et in predicto redditu poterimus petere aut reclamare, sive justitiam exercere aliquam, donec predicti viginti et quatuor anni compleantur. Post predictos autem viginti et quatuor annos, ego e heredes mei habebimus predictum redditum centum solidorum in festo sancti Remigii annuatim. Et si eundem redditum non habuerimus a predictis monachis infra octabas predicti festi sancti Remigii, poterimus facere justiciam nostram in dicto Parcho solummodo pro habendo dicto redditu et pro emenda, ad usus et consuetudines Corboneti judicata. Et ut hoc maneat firmum et stabile, ego, predictus Nicholaus, in testimonium et confirmationem omnium predictorum, dedi predictis abbati et conventui presentes litteras, sigilli mei munimine roboratas. Actum anno Domini M° CC° L° tertio, sexto idus decembris.